

IUSIURANDUM FIDELITATIS

SUMMARIUM: I. Mixta receptio iurisiurandi. 1. Oppositionis rationes. 2. Acceptationis ab aliis motiva. II. Quibus imponatur. 3. Iusiurandum imponitur «*in suscipiendo officio nomine Ecclesiae adimplendo*». 4. Difficultas: non omnes quibus imponitur officium tale habent. III. Quoad Rectores Universitatum Catholicarum. 5. Non omnes tenentur. 6. Confirmatur ex Const. Ap. «*Ex Corde Ecclesiae*». 7. Quamquam teneantur emitte Professionem Fidei; immo emissio iurisiurandi posset concordari cum auctoritate ecclesiastica. IV. Quoad docentes: 8. Professio Fidei facienda ab omnibus docentibus disciplinas theologicas saltem in Universitatibus Catholicis omnibus. 9. Immo et in non Catholicis, ratione non institutionalis sed materiae quae docetur et *mandati* quo egent. Interpretatio can. 812. 10. Sensus mandati: theologus docet propria responsabilitate sed ut catholicus nec quae docet pugnant cum doctrina magisterii. 11. Docens *missione canonica* e contra docet nomine auctoritatis. 12. «*Ex Corde Ecclesiae*» nec memorat *missionem canonicam*: docentes igitur disciplinas theologicas extra Universitates Ecclesiasticas non tenentur ad iusiurandum.

I. Mixta iurisiurandi in communitate ecclesiali receptio

1. Ut notum est, iusiurandum fidelitatis, data etiam formula, simul cum nova formula Professionis Fidei, a C. pro Doctrina Fidei (deinde CDF) impositum est ut obligatio vigere inciperet die 1^a martii anni 1989¹. Praetermissis nunc quaestionibus circa Formu-

¹ Cum primum in AAS 9-I-1989 publici iuris factae sunt Formulae quamquam, data usuali dilatione fasciculorum *Acto-*

lam Professionis Fidei, ad iurisiurandi obligationem attentionem converto.

Mirabitur nemo in hodierna ecclesiali communitate acceptionem positivam novae obligationis a multis, simul dari cum objectionibus ab aliis non paucis, immo totali reiectione². Inter hos ultimos sunt

rum, prius divulgatae sunt a *L'Osservatore Romano* diei 25 februarii, in notula praesentationis statuebatur obligatio novarum formularum a die 1 martii. Perplexitas orta est ex *nova* universali obligatione iurisiurandi, cuius impositio, iuxta canones 29-30, apparebat excedere potestatem CDF imponendi *decretum generale* vim legis habens. Id quod et erui poterat ex art. 18 «Constitutionis Ap.» *Pastor bonus* quae vigere incepit eadem die 1^a martii 1989. Praeterquamquod in «decreto», sine ullo titulo iuridico, sine ulla mentione approbationis pontificiae, sine propriae dictae expressione promulgationis necessariae iuxta can. 29 dum, ut patet, mera insertio in *AAS* criterium certum promulgationis non est, non constabat de concessione potestatis a Romano Pontifice. Haec vero perplexitas sublata est die 19-9-1989 cum Card. RATZINGER per «Rescriptum ex audientia», testimonium nempe fidem faciens, «foras dabat» notitiam concessionis potestatis ex parte Romani Pontificis necnon quod iussisset decreti promulgationem (*AAS* 81, 1989, 1169).

² Referentiam omittam ad eos qui vel ipsas urbanitatis formas praetergrediuntur ut cum, sub specie spiritus iucunditatis (sarcasmi potius) asseritur iusiurandum esse «*too bad to be true*», seu certe provenire non posse ab auctoritate romana: «*All things considered, this oath and profession of faith speak with the authority of the scribes, not that of Jesus*». Nec maiorem meretur considerationem reiectio quae implicat reiectionem Vaticani II et ipsius magisterii: «*For what dresses itself up as a serene doctrinal consensus [documenta Concilii], inspired by the Holy Spirit, might have emerged from lobbying and power plays no less fallible or sinful than those of our own Congress and Supreme Court*». Inspiratio marxista «*even in a post-Leninist era*» auctori videtur valida ita ut concludat: «*And the present loyalty oath, I am convinced, represents just one more fallible political maneuver to impose a one-sided partisan version of Catholic faith on the entire church*».

qui, dum ad conscientiam appellant pro possibili reiectione novae obligationis, non verentur motiva auctoritatis in quaestionem vocare, ac si sola auctoritas conscientiae rationem non haberet vel eam non revereretur; auctoritas consideratur instrumentum (simplex ac inconscium?) habilissimorum «integralistarum»³. Inter eos theologos qui a decenniis notantur propter eorum «in-submissionem», immo etiam «in-observantiam» erga positiones magisterii, nullis huius interventibus commoti, nemo mirabitur iusiurandum sentiri ut instrumentum «Curiae Romanae» promovendi involutionem et suffocandi theologicam investigationem⁴. Regressus ad «terrorem incutientem situationem» a iureiurando contra modernismum denuntiatur⁵.

³ «It does not seem unreasonable to suggest that the church is confronted with a maneuver by integralist sympathizers within the Roman Curia» (Preliminary Report of the CTS [College Theology Society] Committee on Profession of Faith/Oath of Fidelity, *Horizons* 17 (1990-1) 124/2). Nec se continent auctores a gravissima accusatione contra CDF: «This [impositio] is not only unjust to the consciences of the persons involved; it also raises the question of whether one should give material cooperation to those who do genuine harm to the church when they distort its tradition in integralist fashion in the name of enforcing discipline» (Ib. 125).

⁴ Attentus lector notabit «in-observantiam» vertere in linguam latinam «non-respect». «Respect» est terminus versionis a CLSA termini obsequii in LG 25 et in can. 752.

⁵ «This requirement [iusiurandi contra modernismum] was dropped in the wake of the reforms of the Second Vatican Council, but in the context of the resurgence of integralism in the post-Vatican II church, it appears that a "loyalty oath" is being proposed in its place» (Preliminary Report... [cf. nt. 3] 112/2; de resurgentia integralismi iterum in pp. 124/1; 126/2). «...this apparent attempt to stifle free and critical theological inquiry about fallible and reformable church teaching, to restrict theology to the

2. Ab illis qui oppositionem novae obligationi clamant nec concipi videtur quod fidelis, quicumque ille est, theologo non excluso, obligationem assumere possit sensu impletionis gratae obligationis, sensu spirituali oboedientiae, immo sensu liberrimae expressionis proprii amoris erga communitatem ecclesiam cui servire ipsi placet, ne dicam sensu amoris erga Christum cuius missione auctoritas communitatem gubernat. De facto, in emissione iurisiurandi vident aliqui manifestationem fidelitatis erga auctoritatem quae fiduciam ostendit eis quibus munera committit. Immo agitur de manifestatione sinceri animi, eius qui iusiurandum emittit, coram communitate et erga ipsam, utpote quae ius habet ut officia in sui bonum fideliter exercentur⁶. Nec desunt qui memorent praxim societatum civilium, minus tamen apte, meo iudicio, cum sensus exigentiae iurisiurandi ex parte Ecclesiae non idem esse possit.

Re quidem vera iusiurandum Fidelitatis novam

explication and defense of papal and curial documents...» (*Ib.* 124/2).

In «simplici praesentatione» huius «Preliminary Report», emphasim addit D.S. TOOLAN (*Loyalty Oaths Revisited*, *America* 136 [Aug. 1990] 78): Illud iusiurandum «*methodically burned the Catholic spirit*», non minus quam prioribus saeculis Inquisitio combusit haereticos. In specie in Statibus Foederatis, causavit «*intellectual retreat and theological sterility*».

⁶ vg. FLEURQUIN De, L., The Profession of Faith and the Oath of Fidelity: A Manifestation of Seriousness and Loyalty in the Life of the Church, *Studia Canonica* 23 (1989) 485-499 [494; 498].

Etiam HUELS, J.M., Focus on Canon Law: The Profession of Faith and Oath of Fidelity Revisited, *New Theology Review* 3 (1990-2) 79-84. Concludit: «*I submit that the people of God do not find these assurances to much to ask from those who would serve as their leaders and ministers*» [84].

obligationem non imponit materialiter seu quae addatur obligationibus quas omnes fideles in Ecclesia observare tenentur, siquidem ea singula quae obiectum constituunt iurisiurandi, ex Concilio et ex Codice assumuntur. Sed obiectivae considerationes eos qui subjectivismo penitus imbuti sunt (genuina progenies modernismi?) minime commovent.

Porro agitur de formali et explicita promissione, sub iuramento firmata, ex novo igitur religionis motivo, obligationes cuiusvis christifidelis suscipiendi. Sub hoc quidem respectu, obligatio iurisiurandi mihi ipsi, cum aliis, videri potest superflua⁷, immo sensibilitati nostrorum temporum minus respondens, eo vel magis quod in contextu historico obiectionum et protestationum in scriptis subsignatis a non paucis theologis exigatur. Aliis tamen, haec ipsa facta motivum novam obligationem exigendi e contra commendare vel etiam requirere videntur. Quod si CDF, cuius est rectam fidem cum suis exgentiis pro vita religiosa quotidiana promovere atque tutari, medium iudicavit aptum, potius quam id aegre ferre occasionem nancisci possumus ad spiritum fidei in exercitio munerum renovandum⁸.

⁷ «*The new canon Law had reduced considerably the number of times one had to swear. It is a pity that it is now being increased again*». «*The new oath of fidelity seems to be superfluous as we owe obedience to Church laws and superiors already, and our daily eucharist commits us to living in communion in the Church*». (EOIN DE BHALDRAITHE, *The Oath of Fidelity and Ecumenism, One In Christ* 26 [1990-4] 358-361 [358; 360]).

⁸ «*Quant au serment de fidélité, il souligne l'appartenance à l'Eglise catholique et à sa communion, qui dicte l'attitude à adopter pour l'exercice des fonctions que l'on assume...*» (J. GALOT, *La profession de foi et le serment de fidélité, Esprit et Vie*, n. 51 [21 décembre 1989] 694-698. [II. Le serment] [698/2]. Quae specificice

II. Quibus imponatur iusiurandum

3. Imprimis Iusiurandum, iuxta Formulam propositam, imponitur fidelibus «*in suscipiendo officio nomine Ecclesiae adimplendo*». Haec assertio bis habetur in ipso documento, tam in titulo generali quam in titulo specifico partis II, necnon in nota introductoria, quae ulterius recolit dictum titulum⁹.

Siquidem quaestio est de «officio nomine Ecclesiae adimplendo», *officium* (etiam initio ipsius iurisiurandi) sumi videtur sensu technico «officii ecclesiastici», iuxta can. 145. Officia enim sunt instrumenta quibus Pastores Ecclesiae qui, et ipsi iam officium habent sive primatiale sive muneris pastoralis alicuius Ecclesiae, utuntur in tali munere pastoralis implendo¹⁰. Omnia haec officia publica sunt, nec exercenda sunt nomine privato et privata responsabilitate titularis officii, sed «nomine Ecclesiae», sive pro officio exercendo necessaria sit aliqua participatio potestatis sive non.

«Nomine Ecclesiae», scilicet ita ut ipsa communi-

de Professione Fidei immediate praecedunt haud dubio ulterius explicant illam habitudinem: «*La profession de foi a le mérite d'attirer l'attention sur l'attitude de foi qui doit animer l'exercice des fonctions d'Eglise. Pour ceux qui sont chargés d'une tâche d'enseignement, ce rôle de la foi signifie qu'ils ne se livrent pas à un travail de recherche uniquement régi par des règles de méthode scientifique. Leur recherche n'a de sens que si elle est animée par un esprit de foi...*».

⁹ «*I fedeli chiamati ad esercitare un ufficio in nome della Chiesa sono tenuti a emettere la "Professione di Fede"... Inoltre, l'obbligo di un speciale "Giuramento di fedeltà"...*».

Curiosum diceret notam introductoriā documentī intentionis universalis scribi et publicari in AAS lingua italica.

¹⁰ Per participationem consideranda sunt etiam officia quae in Institutis vitae consecratae habentur.

tas ecclesialis a titulari officii quodammodo repraesentetur, et hic agat in bonum publicum seu bonum ipsius communitalis ut talis, loco auctoritalis publicae, quae per titularem officii intra propriam competentiam agat¹¹.

4. Exinde quaedam oritur difficultas quoad extensionem obligationis iurisiurandi ad omnes christifideles «*de quibus in can. 833, nn. 5-8*», prout bis habetur in notula praesentationis. Non enim omnibus christifidelibus, de quibus in can. 833, professio fidei imponitur quia officium ecclesiasticum «nomine Ecclesiae adimplendum» habent. Sic, exempli gratia, non dices officium ecclesiasticum habere eos qui participant Concilio Oecumenico (n. 1^o).

Inter eos ipsos qui nn. 5-8 enumerantur, de quibus specificè obligatio iurisiurandi, quamplurimi certe officium obtinent ecclesiasticum, verumtamen, nisi vehementer fallor, non omnes, ut in specie «*promovendi ad ordinem diaconatus*» (n. 6^o) etenim, prout iam ab auctoribus ante vigentem Codicem communiter habebatur, sola ordinatio (etiam presbyteralis, immo episcopalis) non fidelem constituit in officio ecclesiastico¹².

¹¹ Cf. can. 116 § 1. Hic abstractio fit a quaestione de personalitate iuridica publica vel minus officii ecclesiastici, sed quae in can. 116 § 1 dicuntur de notis distinctivis personae iuridicae publicae, de officio ecclesiastico quatenus instrumento «publicae *administrationis*» Ecclesiae dici posse videntur.

¹² Sub iure Codicis 1917 ad officium stricte dictum requirebatur aliqua participatio potestatis sive ordinis sive iurisdictionis, verumtamen AA. explicabant non sufficere merum factum ordinationis, sed quaedam ulterior potestas requirebatur, etenim, ut habebat VIDAL «*officia non confert ipsa ordinatio, sed potius ordinatis [emphasis in textu] dantur*» (F.X. WERNZ-P. VIDAL, *Ius Canonicum*, T. II, De Personis, ed. 3^a, P.U.G., Romae 1943, p. 194, 3^o).

Rationabiliter certe exigitur professio fidei ab eo qui, per ordinis diaconalis susceptionem, in hierarchiam ordinis cooptatur, qui quidem ordinem exercebit in celebranda liturgia seu cultu publico communitatis ecclesialis (cf. can. 837), idque independenter ab hoc quod aliquod officium ecclesiasticum acceperit vel non.

III. Quoad Rectores Universitatum Catholicarum

5. Inter alios quibus, illis numeris can. 833, imponitur Professio Fidei ideoque, iuxta documentum CDF, etiam Iusiurandum Fidelitatis, numerantur non modo Rectores Universitatum ecclesiasticarum, sed etiam «*Rectores Universitatis Catholicae*»; necnon «*docentes qui disciplinas ad fidem vel mores pertinentes in quibusvis universitatibus tradunt*» (n. 7^o).

Heic praesertim invenitur difficultas. Et primo quidem quoad Rectores *omnes* Universitatum Catholicarum quod attinet. Non enim *omnes* Rectores Universitatum Catholicarum officium dicendi sunt habere ecclesiasticum. Universitatis enim Catholicae *erectio*, attentis cann. 807-814, a quibusvis fidelibus fieri potest, non necessario ab ipsa ecclesiastica auctoritate. Sufficit, iuxta can. 808, si auctoritas ecclesiastica Universitatem, quam *reapse* catholicam in suis finibus et principiis agnoscat, *consentiat* ut titulum *catholicae* gerat¹³.

¹³ Haec confirmantur Const.Ap. «*Ex corde Ecclesiae*», 15-8-1990, de Universitatibus Catholicis (AAS 82 [1990] 1475-1508) art. 3 § 3. Implicite iam in art. 2 § 2 qui duplicem diversam cum Ecclesia «coniunctionem» agnoscit, non tantum «*vinculo constitutivo*» sed etiam «*ex officio institutionalis ab eius sponsoribus sumpto*». Cf. etiam art. 3 § 4 et art. 5 § 3.

Talis autem agnitio characteris catholici non implicat erectionem Universitatis in personam iuridicam publicam ecclesiasticam, quae tunc certe nomine Ecclesiae ageret. Universitas Catholica a privatis creata, nec erecta in personam iuridicam publicam, agit nomine privatorum, etsi in fines similes illis Universitatis Catholicae quae personalitatem iuridicam publicam obtinuerit, ideoque Rector huiusmodi Universitatis, etsi ab auctoritate ecclesiastica agnita publice sit ut Catholica, non habet officium ecclesiasticum nomine Ecclesiae exercendum.

Quod si Universitas *agnoscatur* ut Catholica ab auctoritate ecclesiastica, haec auctoritas Statuta Universitatis utique *recognoscere* debbit, ne titulum Catholicae consentiat tali institutioni cuius Statuta non respondeant principiis catholicis. Sed haec recognitio non est aequiparanda Statutorum approbationi quae pro erectione personae iuridicae praerequiritur (can. 117). Id notetur, canones de Universitatibus Catholicis non requirere approbationem Statutorum Universitatis Catholicae¹⁴.

Art. 3 § 3. Exigit ut, cum agnoscenda sit ut Catholica Universitas non ab Ecclesia creata, condiciones pacto firmentur inter auctoritatem competentem et ipsam Universitatem.

¹⁴ Implicite etiam in «*Ex corde Ecclesiae*» [nt. 13], art. 3 § 4.

In Relatione ad Plenariam Commissionis pro Revisione Codicis, anno 1981, notatur unus Pater postulavisse ut specificaretur cui competeret erectio Universitatum Catholicarum, cui approbatio si Universitas facultates non scientiarum ecclesiasticarum etiam haberet [in quo distinctio indolis ab *Universitate ecclesiastica*]. Responsio Secretariae fuit «*Unusquisque eam erigere potest; si erigitur in persona iuridica [sic], tunc statuta approbati debent a competenti auctoritate et suis in locis providebuntur*» (Commun. 15 [1983] 103).

Alia observatio volebat ut «*stabilatur quisnam statuta parare et approbare debeat*», sicut in casu Universitatum ecclesiasticarum.

6. Ut patet Universitates Catholicae creationis privatae et sine personalitate iuridica publica, non subsunt auctoritati ecclesiasticae, nec nomine Ecclesiae agunt. Requirit quidem Const. Ap. ut normae, quae ab ipsa dantur, incorporentur in Universitatis «*instrumenta ad suum regimen pertinentia suaque vigentia Statuta*», ubi agatur de Universitate Catholica constituta vel approbata ab auctoritate ecclesiastica competenti, dum explicite de *ceteris Universitatibus Catholicis* statuit ut concorditer agant cum auctoritate ecclesiastica ut «*has Normas Generales, earumque locales et regionales applicationes in usum suum convert[ant]*» ita ut — bene notandum — *quantum fieri poterit* sua Statuta his Normis accommodent¹⁵.

Concludendum igitur videtur, Rectores Universitatum Catholicarum «*ceterarum*», scilicet earum quae Ecclesiae coniuncta sunt, non quidem «*vinculo constitutivo et legitimo*», sed solo «*officio institutional*», non obtinere officium ecclesiasticum nomine Ecclesiae exercendum ideoque non subici obligationi iurisiurandi fidelitatis.

7. Probe autem notandum est, ad normam can. 833, 7º, hi Rectores Professionem Fidei emittere debere nec, ratione habita Const. Ap. «*Ex corde Ecclesiae*» id dices parum logicum. Profecto *omnis* Universitas Catholica tenetur suam catholicam identitatem servare, scilicet «*pervestigationem, institutionem ceteraque opera propositis, principiis et moribus catholicis*» perfundere et exsequi (art. 2 § 2), ita ut «*institutio catholica et disciplina catholica*» inspirent

rum, et responsio fuit «*Non admittitur: non enim est idem: Universitates et Facultates ecclesiasticae modo arctiore ab auctoritate ecclesiastica dependunt [sic]*» (*Ib.*).

¹⁵ Art. 1 § 3. Recole notam praecedentem.

«*omnes actiones Universitatis*» (Ib. § 4). Iam vero «*onus tuendi et confirmandi Universitatis indolem catholicam spectat imprimis ad ipsam Universitatem... imprimis Universitatis Auctoritatibus...*» (art. 4 § 1)¹⁶.

Certe nemo non videt conexionem inter Iusiurandum Fidelitatis et Professionem Fidei, quae asserebatur in nota introductoria documenti CDF tanquam rationem quidem imponendi hanc *novam* obligationem¹⁷ verumtamen haec complementaritas non talis est qua omnino exigatur Iusiurandum, ut per se patet vel ex eo quod stando Codici non requirebatur. Quamquam ergo Rectores Universitatum Catholicarum ut talium tantummodo agnitarum, quippe qui officium ecclesiasticum nomine Ecclesiae exercendum non habeant, non subiciantur novae obligationi iusiurandum fidelitatis emittendi, nihil tamen impediret, prout mihi videtur, quod datis responsabilitatibus Rectoris (quocumque tandem nomine cognoscatur), de quibus nuper mentionem faciebam, concordet Universitas cum Auctoritate ecclesiastica loci ut emissio huius Iurisiurandi fidelitatis ex parte Rectoris assumatur in Universitatis instrumentis ad regimen attinentibus et Statutis, prout optatur de Normis generalibus Const. Ap. «*Ex Corde Ecclesiae*»¹⁸.

8. Ad «*docentes qui disciplinas ad fidem vel mores pertinentes in quibusvis Universitatibus tradunt*» (can. 833, 7°) attentionem convertamus.

¹⁶ Cf. adhuc art. 4 §§ 2 et 5; art. 5 §§ 1-3; art. 6.

¹⁷ «*La formula dello "Iusiurandum fidelitatis in suscipiendo officio nomine Ecclesiae exercendo", intesa come complementare alla "Professio fidei",...*» (cf. AAS 81 [1989] 104).

¹⁸ Art. 1 § 3. Cf. etiam art. 3 § 3 de condicionibus pasciscendis inter Universitatem et Auctoritatem ecclesiasticam competentem.

Etiam in hoc casu distinguendae sunt obligationes emittendi Professionem Fidei, de qua nulla oritur difficultas, nisi quoad sensum illius «in quibusvis Universitatibus»¹⁹, et novam obligationem emittendi Iusiurandum fidelitatis.

Professio ergo Fidei emittenda a docentibus disciplinas theologicas in «quibusvis Universitatibus». Nullum potest esse dubium quod agatur de docentibus saltem in *omnibus* Universitatibus Catholicis, data indole harum Universitatum, quamvis Const. Ap. non in specie hanc obligationem memoret²⁰. Const. Ap. in memoriam revocat theologos docentes saltem in his Universitatibus Catholicis mandatum a competenti auctoritate accepisse, ex quo etiam eorum conscientia necessariae fidelitatis Magisterio Ecclesiae authentico viva sit oportet, quae fidelitas, nonnisi ut apte res de fide vel moribus theologi docere possint, exigitur vel ab ipsa methodo theologiae catholicae.

In *omnibus* igitur Universitatibus Catholicis docentes theologicas disciplinas emittere debere Professionem Fidei iuxta can. 833, 7^o est dicendum certum.

¹⁹ Mutata formulatione veteris can. 1406 § 1, 8^o: «...*professores omnes in Universitate seu Facultate canonice erecta...*», facile apparet quod iam non agitur de *omnibus* professoribus, sed tantum de eis «*qui disciplinas ad fidem vel mores pertinentes... tradunt*». Sed mutata etiam est expressio: «...*in Universitate seu Facultate canonice erecta*» ita ut nunc habeatur «*in quibusvis universitatibus*».

²⁰ Cf. in specie Const. Ap. «*Ex corde Ecclesiae*», art. 4, ubi de indole catholica communis universitatis *omnium* Universitatum Catholicarum. In § 3 asserit *theologos catholicos* accepisse *mandatum*. De sensu huius mandati cf. infra n. 10. Rationabiliter omnino antequam conferatur mandatum, requiritur a theologo emissio Professionis Fidei. Etiam in parte I, nn. 12-20 (in specie 13, 14, 19); n. 29.

9. Canon, formula generaliori «*in quibusvis universitatibus*», requirit Professionem Fidei a docentibus etiam in aliis Universitatibus scilicet non Catholicis?

Prout mihi videtur responsio danda est affirmativa, non quidem iam ex ratione quod doceant in Institutione quae compromissum saltem institutionale assumat, cui compromisso et ipsi vel maxime conformari debebunt, sed simpliciter quia docent disciplinas theologicas. Ad has enim disciplinas theologicas docendas, «*in studiorum superiorum institutis quibuslibet*», vi can. 812, egent competentis auctoritatis ecclesiasticae mandato ante cuius concessionem ab eis omnino rationabiliter exigenda est Professio fidei.

Ex titulo cap. II, Codicis sub quo can. 812: «*De Catholicis Universitatibus aliisque...*», contendit ÖRSY (inter alios) «*in studiorum superiorum institutis quibuslibet*» intelligi debere restrictive de «*Catholicis*», et quidem «*canonice erectis*», iuxta notum principium «*a rubro ad nigrum valet illatio*», seu argumentari licet a titulis ut sensus *textus legis* percipiatur²¹.

Praeterquamquod ÖRSY non attendit quod etiam habetur principium excipiens, scilicet «*per nigrum corrigitur rubrum*», quod quidem praevalere debet, cum leges exprimantur «*in nigro*», non «*in rubro*», si in hoc casu «*nigrum*» non intelligatur sensu amplo, valde imperfecte formulatus esset canon. Sufficiebat enim scripsisse «*Qui disciplinas tradunt theologicas, auctoritatis ecclesiasticae competentis mandatum ha-*

²¹ The mandate to Teach Theological disciplines: Glossae on Can. 812 of the New Code, *Theological Studies* 44 (1983) 480 [476-488]. Eadem opinio exprimitur a J. CORIDEN in «*Commentario Americano*», p. 576/1.

beant oportet». Si ergo legislator necessarium putavit specificare «*Qui in studiorum superiorum institutis quibilibet disciplinas...*», mentem manifestavit se non intendere textum canonis restringere iuxta titulum. Praeterea, iuxta aliud principium interpretationis, «*ubi eadem est ratio, eadem debet esse iuris dispositio*», pariter argumentandum ad sensum amplum indicatum. Identitas enim rationis habetur in sensu ipsius mandati ut exigatur non tantum ratione instituti in quo doceatur theologia, sed ratione ipsius theologiae docendae a determinata persona.

10. Mandatum enim minime significat, sicut ab ÖRSY est intellectum, commissionem ut theologus agat «*nomine auctoritatis*»²². Theologus catholicus ius habet investigandi et proponendi suas investigationes (can. 218), nec dicendum est eum aut docere «*nomine auctoritatis*» dantis mandatum aut docere non posse. *Mandatum* non imponit quid aut quomodo sit docendum, ideoque nec limitat aut restringit ius de quo in can. 218.

Mandati terminus a Plenaria Commissione revisionis Codicis, anno 1981, electus est loco quidem clausulae *missionis canonicae* quae habebatur in canone (767) Schematis 1980. Id factum est ratione habita objectionum contra conceptum *missionis canonicae* docentis, praesertim ex Statibus Foederatis Americae Sptentrionalis, ex quibus objectionibus erui potest terminus «*missionis canonicae* auribus americanis facile sonum reddidisse «*confessionalem*» et «*sectarium*»²³. Terminus «*mandatum*» intelligendus

²² Cf. nt. praec. pp. 480-481. Si non habet «*pondus*» *missionis canonicae* [?] — dicit —, includit quod accipiens mandatum agat nomine alterius.

²³ Praecipuae summatim referuntur a J. CORIDEN in «*Commentario Americano*» ad Codicem: pp. 575-576.

fundamentaliter ex AA 24, ubi Concilium expresse distinguit *mandatum* a *missione* [canonica]. Vi huius ultimae habetur subiectio auctoritati et actio eius nomine²⁴, non ita vi *mandati*, quo Hierarchia incepta apostolica laicorum cum suo munere coniungit, sed manente autonomia laicorum²⁵.

Theologus catholicus qui *mandatum* recepit docet sua responsabilitate²⁶, non ex commissione Hierarchiae, non ex collatione alicuius officii publici in communitate ecclesiali, non ex Hierarchiae commissa participatione in potestate docendi, qua theologus teneatur docere nomine committentis. Commissio mandati praeterea non importat positivam approbationem eius doctrinae.

Sed quia, ex una parte, docet *theologiam catholicam* cuius rectae propositionis iudicium, ex natura rei, non potest non pertinere ad munus authentice docendi Hierarchiae et, ex alia parte, docet tanquam *theologus catholicus*, Hierarchia, per *mandatum*, publice

²⁴ «Denique Hierarchia laicis [de his agit documentum] committit munia... quae proprius cum officiis pastorum coniuncta sunt... Vi huius missionis laici quoad muneris exercitium plene subduntur superiori ecclesiasticae moderationi».

²⁵ «Potest insuper ecclesiastica auctoritas...ex...inceptis apostolicis immediate finem spirituales intendentibus, aliqua eligere et particulari modo promovere in quibus specialem assumit responsabilitatem. Ita Hierarchia, apostolatum iuxta adiuncta diversimode ordinans, aliquam eius formam cum suo proprio munere apostolico arctius coniungit, servata tamen utriusque propria natura et distinctione, nec proinde laicorum ablata necessaria facultate sua sponte agendi» [emphasis a me].

²⁶ Bene notetur id non opponi obligationi docendi «servato debito erga Ecclesiae magisterium obsequio» (can. 218), quae obligatio est pars suae responsabilitatis ut theologi catholici. Immo eiusmodi obligatio habetur sive theologus egeat mandato sive non.

testatur imprimis eum docere ut catholicum, eum scilicet esse in communione cum propria Ecclesia et auctoritate, non autem *aliunde venire*²⁷, et etiam eius doctrinam (quae non positive ab auctoritate approbatur ac si esset doctrina auctoritatis) non hucusque cognosci pugnare cum doctrina quae a Magisterio authentico proponitur²⁸.

Nullo modo haberi potest *mandatum* ut interven-tus auctoritatis ecclesiasticae externus in curriculum academicum. Etiam si theologus catholicus qui admit-teretur ad docendam theologiam in Universitatem non catholicam, eget mandato ut doceat, hoc *manda-tum minime implicaret auctoritatem se immiscere in Universitatem aut in curriculum*, sed simpliciter attes-taretur theologum velle docere ut catholicum et quod docet non pugnare cum doctrina catholica. Nonne libertas est theologo ut tanquam catholicus doceat et ut doceat theologiam catholicam? Universitatis erit

²⁷ Concilium Tridentinum agendo de missione necessaria pro sacramentis et praedicatione (a. 1563) pulchram habet expressio-nem: «*Si quis dixerit... aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati nec missi sunt*, sed aliunde veniunt [emphasis mea], *legitimos esse verbi et sacramentorum ministros: a.s.*» (can. 7, Sess. XXIII: D. 1777).

²⁸ Hic duplex aspectus exprimebatur in «Declaratione» a CDF 15-12-1979, qua *mandatum* auferebatur a professore H. Küng: «...*haec Sacra Congregatio... declarare cogitur Professore Ioannem Küng in suis scriptis ab integra fidei catholicae veritate deficere, ideoque eundem nec uti theologum catholicum haberi neque qua talem munere docendi fungi posse*» (AAS 72 [1980] 92).

In parte expositiva «Declarationis» agitur etiam de docendo «*vi missionis ab Ipsa [Ecclesia] acceptae*», quae qualificatur «*canonica*» (Ib. p. 91). Sed notandum est, professorem Küng accepisse veram *missionem canonicam*, non tantum *mandatum*, cum doceret in Facultate theologica canonice erecta, seu facultate ecclesiastica (cf. *Annuario pontificio*, 1979, p. 1426).

decidere utrum velit lectiones theologiae catholicae habere an non.

11. *Missio canonica*, e contra, quatenus theologo *committit* munus quod de se ad Hierarchiam pertinet, et datur quidem in conexione cum officio ecclesiastico publico, quandam importat participationem in munere Hierarchiae, ideoque adhuc tertium addit aspectum, quod non invenitur in *mandato*. Scilicet, vi *missionis canonicae* theologus docet *non iam privata personali responsabilitate sed nomine auctoritatis*²⁹.

Const. Ap. «*Sapientia Christiana*», 15-4-1979, de Universitatibus Ecclesiasticis, requirit a docentibus disciplinas theologicas, ut obtinuerint *missionem canonicam*, cuius sensum explicat cum rationem praescriptionis praebet «*non enim propria auctoritate docent, sed vi missionis ab Ecclesia acceptae*» (art. 27 § 1). Tales docentes «*graviori responsabilitate instructi [sunt] utpote qui peculiare Verbi Dei ministerium obtineant sintque iuvenibus magistri fidei*» (Prooem. IV, p. 474). Re quidem vera, non quibuslibet iuvenibus sunt fidei magistri, sed illis qui, in Institutionibus ab Ecclesia erectis ad praeparandos proprios ministros qui ministeria et officia publica in communitate ecclesiastica, nomine quidem Ecclesiae exercenda, accipient.

Mandatum igitur a missione canonica hoc tertio elemento substantialiter differt³⁰. Exinde sequitur

²⁹ Ut per se patet, nullo modo dicitur theologus, officio et *missione canonica* acceptis, docere quin exercere debeat propriam responsabilitatem, sed asseritur haec imprimis ei imponere ut doceat in conformitate cum magisterio authentico, non tantum ex obligatione propria cuiusvis theologi (can. 218), sed et ratione iuridica *missionis acceptae* nomine auctoritatis implendae.

³⁰ Recenter adhuc Sh. E. EUART, scripsit «*What is common to the various interpretations of missio canonica and mandatum*,

can. 818 de Universitatibus Ecclesiasticis, in quantum statuit can. 812 de necessitate mandati, in casu etiam Universitatum Ecclesiasticarum applicari, non sit accuratus nec rationem habeat facti quod Commissio pro Codicis revisionis ex professo voluit mutationem clausulae «*missioni canonicae*» in terminum «*mandatum*», quia *missio canonica* «*in hoc casu non plene aequaretur cum vera canonica missione*»³¹.

and what is significant for purposes of this article, is that some authorization approval or recognition [*emphasis a me*] from ecclesiastical authority is needed for those who teach theological disciplines in Catholic colleges and universities». [*emphasis a me*] «[Canon 812] It is one of several canons intended to further that mission [*missio docendi Ecclesiae*] at the level of higher education. It is, then, intended to be an instrument of evangelization». (Implications of canon 812 for Federal Constitutionality of Government aid to Catholic colleges and universities, *The Jurist* 50 [1990] 167-197 [169; 194]). Considerat «*mandatum*» ut «*external ecclesiastical authorization*» (p. 195; 196).

Auctrix, iuxta suam thesim ad lauream apud Universitatem Catholicam Washington, anno 1988 (n. 526), sequitur CORIDEN et ŌRSY. Nec memorat opus R.P. DEELEY, *The Mandate For Those Who Teach Theology in Institutes of Higher Studies: An Interpretation of the Meaning of Canon 812 of the Code of Canon Law*, Pontificia Universitas Gregoriana, Facultas Iuris Canonici, Romae 1986.

³¹ Ad Plenariam 1981: *Communicationes* 15 (1983) 105. Iam alibi notabam hanc incoherentiam can. 818, quam etiam MANZANARES perspexerat. Hic cl. auctor proponebat ut corrigeretur art. 27 § 1 Const. Ap. «*Sapientia Christiana*» (Las universidades y facultades eclesiásticas, in *Seminarium* 23 [1983] 588), id quod videretur recte dictum, ratione habita can. 6 § 1, 2^o, verumtamen, attendendo ad substantialem differentiam inter «*mandatum*» et «*missionem canonicam*», quam in textu expono et quae retinenda est, revera canon 818 est corrigendus: aut saltem interpretes litteram canonis huius *impropriatione* quadam (per extensionem) intelligere debet ex «*aequitate canonica*», ne sensum «*missionis canonicae*» quae requiritur et requiri debet a docentibus in

12. In Const. Ap. «*Ex corde Ecclesiae*», non plus quam in Codice, nulla est quaestio «*missionis canonicae*» pro docentibus disciplinas theologicas in Universitatibus Catholicis, ne quidem in illis cum Ecclesia coniunctis «*vinculo constitutivo*» (art. 2 § 2), sed Const. Ap. recolit catholicos theologos — omnes quidem qui uti tales docent in omnibus Institutis superioribus, etsi, ut patet, Const. Ap. loquatur de omnibus docentibus quidem in Universitatibus Catholicis quibuslibet, ideoque etiam in illis qui tantummodo «*compromisso institutionali*» cum Ecclesia vinculantur — «*implere mandatum [ego addo emphasim] ab Ecclesia receptum*» (art. 4 § 3), remittendo in nota 50 ad can. 812.

Exinde igitur confirmatur docentes disciplinas theologicas in Universitatibus Catholicis, aliter ac in Universitatibus Ecclesiasticis, non «*officium nomine Ecclesiae exercendum*» habere, ideoque, etsi vi can. 833,7^o debeant Professionem fidei emitte re initio suscepti muneris, et in concreto ut «*mandatum*» accipiant ab auctoritate ecclesiastica competenti, prout supra dicebam (n. 7), eos dici non posse teneri ad iusiurandum fidelitatis in exercendo officio nomine Ecclesiae exercendo... quod non habent.

Salvo igitur meliori iudicio iusiurandum Fidelitatis «*In suscipiendo officio nomine Ecclesiae exercendo*» est adhibendum a «*christifidelibus de quibus in can. 833, nn. 5-8*» (prout habet subtitulus), *quatenus illi christifideles revera officium nomine Ecclesiae exercendum suscipiant.*

Universitatibus Ecclesiasticis minuatur ad sensum «*mandati*» quod requiritur a docentibus in quibuslibet Institutis superioribus (cf. meum articulum Ecclesial Universities and Faculties, in *Studia Canonica* 23 [1989] 459-469 [468, nt. 45]).

Quatenus vero officium ecclesiasticum non habeant, et in concreto docentes disciplinas theologicas in Istitutis superioribus quae non sint Universitates Ecclesiasticae, non tenebuntur. Immo nonnisi sensu valde improprio possent ipsi Deo promittere «*Ego N. in suscipiendo officio... onera explebo quibus teneor erga Ecclesiam... in qua ad meum servitium, secundum iuris praescripta... In munere meo adimplendo, quod Ecclesiae nomine mihi commissum est... Episcopis dioecesanis auxilium dabo, ut actio apostolica, nomine et mandato ecclesiae exercenda...*»³².

FRANCISCO JAVIER URRUTIA, S.J.

³² Iuxta superius dicta theologus catholicus qui invitaretur ad docendam theologiam in Universitate statali vel saeculari, exempli gratia apud Harvard, ipse teneretur mandatum accipere quo publice cognoscatur ut theologus catholicus et talis cuius doctrina non pugnat cum doctrina authentici magisterii catholici. Exinde quicumque vellent eius scholas adire certi esset in illis theologiam catholicam doceri. Sed talis docens nullo modo doceret «*nomine auctoritatis ecclesiasticae*», nec ullo modo dici posset ipsum accepisse, per mandatum vel occasione mandati, officium quodcumque ecclesiasticum!